



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus, Quæ Religiosum Constitvunt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

III. Vtrum votum simplex castitatis obliget ad non contrahendum
matrimonium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

Pomponium collegam, ad quem scribebat, & illi dicere: Melius est dispensare cum eis, ut nubaat, quam eas in eo periculo relinquere. Quæ expositio fuit Didaci P. yua in libro decimo Orthodoxarum explanationum, & Michaelis Med. n. lib. 4. de continentia, controuers. 7. capit. 21. & 31. & esset apprensus si Cyprianus tantum dixisset, *si non possunt*, tamen quia sub disfunctione dixit, *si nolunt, vel non possunt*, non potest defendi, quia manifeste id constituit in sola virginis voluntate independentem à dispensatione. Nam ad dispensandum non solum licite, sed etiam valide cum ea, quæ habet votum virginis, non facta est ut nolit perseverare, quia necessaria est iusta causa: nolle autem perseverare, est sola malitia. Omitto incertum esse, an illis temporibus possent Episcopi dispensare in voto continentie, maxime quia probabile est, ut infra ostendam, Cyprian. loqui de voto impediente, & dirimente subsequens matrimonium, in quo Episcopi nunquam dispensare poterunt. Pertinendum ergo est in expositione data, quæ sine dubio vera est. Nam quod alij obijciunt Cyprianum non agere in tota epistola de virginibus sacrandis, sed sacratis, & de his si lapsæ fuerint, docere, quomodo curandæ sunt, vel puniendæ: hoc, inquam, nihil obstat, quia licet, verum sit, optime potuit Cyprianus obiter significare quid illis considerandum fuit, priusquam vouerent, nam postea non licet quod antea licebat.

Ad validam, & licitam dispensationem voti castitatis requiritur causa iusta.

CAPVT III.

Virum votum simplex castitatis absolute obliget ad non contrahendum matrimonium, etiam cum intentione non consummandi.

Ratio dubitandi in hac parte desumitur ex eo, quod Patres supra citati simpliciter negant, licere contrahere matrimonium post votum castitatis. Et Augustinus supra etiam citatus simpliciter dixit, *habentibus tale votum velle nubere damnable est*; cum tamen velle sit prius, non tantum quam consummare, sed etiam quam contrahere. Et similis sententia refertur ex Hieronymo in c. *vouentibus*. d. 27. & 17. q. 1. sed sub his verbis in illo non inuenitur, meliusq; ex Augustino refertur in cap. *nuptiarum*. 27. q. 1. Item idem August. *Qui non damnaretur* (inquit) *si dixisset vxorem, post votum quod Deo promissit, si duxerit vxorem, post votum quod Deo promissit, si duxerit vxorem, post votum quod Deo promissit, si duxerit vxorem.* Similia habet Hieronym. sæpe libris contra Iovinianum, & epistolis de Virginitate ad Eustochium, & ad Sabinianum, Chrysostr. hom. 13. ad Hebr. multaq; alia refert Gratianus in tribus locis proxime indicatis. Cum ergo hi Patres nihil distinguant de intentione contrahentis, & absolute damnent huiusmodi nuptias, non licet nobis distinguere, sed quacumque intentione fiant, eas damnare. In contrarium autem est, quia per tale matrimonium factum cum intentione non consummandi, nec violandi in aliquo castitatem, non læditur virtus castitatis, neque actus, neque proposito, imo cum illo actu stat integra, & perfecta virginitas, ut patet aperte in Beatissima Virginitate ergo per talem actum tali proposito factum nullo modo frangitur votum castitatis. Probatur consequentia, quia votum castitatis non habet materiam ampliorum, quam ipsa virtus castitatis.

In hac re duas inuenio sententias, prima affirmat votum illud obligare ad non contrahendum etiam cum intentione non consummandi. Hæc tribuit S. Thomæ in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. tamen eo loco non agit de hoc casu in particulari, sed solum generatim dicit non licere nubere post votum castitatis. Magis videtur fauere huic sententiæ 3. p. quæst. 28. artic. 4. ad 3. vbi et defendat B. Virg. nem nubentem

do non fecisse primam fidem irritam, aut, ante matrimonium non absolute vouisse castitatem: constat autem B. Virginem ita contraxisse matrimonium, ut habuerit firmum propositum nunquam consummandi illud: sentit ergo hoc esse contra votum castitatis, si absolute præcessit. Explicius tenet hanc sententiam Richar. in 4. dist. 38. artic. 7. quæst. 1. ad 3. ait enim non licere contrahere etiam cum proposito ingrediendi statim religionem. Idem tenet Nauarr. in summa cap. 22. numer. 73. & refert D. Antonin. 3. p. titul. 1. cap. 16. §. 1. ille tamen non specificat de contrahente cum tali intentione, sed absolute loquitur. citat etiam Rosellam verbo *Votum*. §. 9. & idem tenet Syluest. *Matrimonium* 7. quæst. 5. §. secundum, qui refert etiam Archidiaconum, tenet etiam Cordub. in summa. quæst. 136. Lopez 1. p. Institut. cap. 50. Henriquez lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 8. & Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 43. num. 7. & in Decal. lib. 4. de voto, cap. 21. num. 4. Insinuatur autem ab his auctoribus varia fundamenta. Primum quod videtur magis per se & intrinsecum voto est; quia voluntas contrahendi est virtualis voluntas consummandi, nec potest ab illa separari, & ideo nec separari possit, quin sit contra votum. Secundum est, quia saltem exponit se periculum morali violandi castitatem, & mutandi propositum intrandi religionem, quod periculum videtur morale, & in proxima occasione, & ideo illi se voluntarie exponere, etiam est fractio voti. Tertium extrinsecum est, quia in hoc fit iniuria alteri coniugi deludendo illum, imo significat Syluester etiam eludi sacramentum ipsum, quia intentio denegandi debitum est contra substantiam & valorem matrimonii. Quartum est, quia hoc saltem est iure prohibitum in locis supra citatis, & in cap. *si vir*. dist. 27. & in cap. *consultus*, & cap. *rursus*, qui clericis vel vouent. Et hæc duo posteriora fundamenta non probant esse contra votum, sed in genere esse peccatum.

Secunda sententia est, non peccare eum qui dum habet votum castitatis, matrimonium contrahit quoad vinculum cum intentione intrandi religionem, priusquam aliquid aliud contra integritatem castitatis committat. Ita tenet expresse Scotus in 4. d. 38. quæst. ult. vers. *consimiliter*. Non potest (inquit) *licite contrahere nisi cum intentione non consentiendi in copulam, & consequenter intrandi religionem.* Idem supponit d. 30. quæst. 2. & sign. ficat ibidem Duran. quæst. 2. ad argument. Maior quæst. 1. art. 1. & 2. Supplem. Gabr. d. 38. q. 1. artic. 3. Medin. 3. p. q. 28. artic. 4. Bellam. lib. 1. de Monach. c. 22. & tenet Angel. verb. *Matrimonium*. impedimento 5. num. 1. & citat Calderinum in c. *rujus*, qui cler. vel vouent. Idem tenuit Nauarr. in Summ. cap. 16. n. 30. per quem locum videtur alius explicandus. Tenet etiam Caiet. verb. *Matrimonium* c. 1. Fundamentum supra tactum est. Cui addere possumus, quia non minus impedit matrimonium votum religionis, quam votum castitatis, sed qui contraheret illo modo, non ageret contra votum simplex religionis: ergo neq; agit contra votum simile castitatis. Minor probatur, quia ille (ut supponimus) si est in mora non implendi votum suum, neq; etiam se reddidit incapax ad illud implendum: neq; etiam necesse est ut quando contrahit habeat propositum non implendi illud votum.

Inter has sententias hæc posterior videtur mihi vera per se & ex natura talis voti loquendo; in prædicto autem vsu illi magna moderatio & causa necessaria est, & ideo raro poterit ad opus licite deduci. Priorem pattem mihi persuadet prima ratio facta pro illa sententia. Nam vinculum matrimonij per se spectatum non est formaliter contrarium castitati. Et licet radicaliter, seu virtualiter videatur opponi, id solum est quatenus ad copulam ordinatur: hic

hic autem ordo potest animo & voluntate præcindi sine vlla repugnantia, vel turpitudine: ergo si ita fiat, non habet intrinsicam malitiam vel oppositionem cum voto castitatis; quia per se non fit de non contrahendo, sed de non agendo aliquid contrarium castitati. Vt ergo dicamus hoc non esse per se malum, satis est quod non habeat intrinsicam malitiam, nec repugnantiam necessariam cum voto, & ita responsum est ad primum fundamentum alterius sententiæ. Negamus enim in voluntate contrahendi necessario includi virtuales voluntatem consummandi; id enim ad summum verum est, quando per contrariam voluntatem formalem illa virtualis non impeditur.

Quod maxime pendet ex intentione, qua vnusquisque vult matrimonium contrahere. Regulariter enim homines non contrahunt matrimonium nisi vt filios procreent, & ideo voluntas contrahendi dicitur esse virtualis voluntas consummandi. Atque etiam dici potest supponere illam formalem voluntatē, eo modo, quo electio medijs supponit intentionem eius. Aliquando vero contingit, vt homo qui matrimonium contrahere vult, nō tam formaliter cogitet de filiorum generatione, quam de alijs commoditatibus humanis, propter quas matrimonium expedit, vt propter amabile obsequium, propter adiutorium in gubernatione familiæ, &c. ita tamen, vt neq; formalis proposito excludat copulam, nec diuturnam cohabitationem, & cohabitationem familiarem: & hoc etiam satis est vt illa voluntas contrahendi sit voluntas virtualis consummandi, quia moraliter ad hoc tendit, & includit voluntatem se obligandi, & obligationem implendi. Et his duobus modis clarum est nō licere contrahere matrimonium post votum castitatis. Præterea potest vt intentio matrimonij contrahendi, nec sit fructus filiorum, neq; alia commoditas, quæ includat diuturnam cohabitationem, & ordinatum vltimum matrimonij, sed potius ad finem alioquin, & aliquando ad ipsum statum religionis referatur, cum formalis proposito intrandi religionem prius quam matrimonij consummetur: in quo casu in voluntate contrahendi non includitur virtualis voluntas consummandi.

Quod autem hoc ita sit primo declaratur exemplis. Nam si virgo habeat secretum votum castitatis, & non possit obtinere à parentibus perseuerantiam in illo statu, neq; audeat eis votum reuelare, & speret quod si ostendat animum contrahendi matrimonium, & contrahat, habeat commoditatem & libertatem ad ingrediendam religionem, quam alio medio obtinere non sperat, neque etiam in hoc medio timeret morale periculum, aut occasionem consummandi matrimonium, in eo casu ex intentione & animo ingrediendi religionem potest contrahere matrimonium sine vlla violatione voti. Et hoc exemplum posuit etiam Henric. li. 2. de Matrimonio c. 2. n. 8. Aliud indicat Nau. dict. c. 16. scilicet, si ad contrahendum hoc modo, & cum hac intentione cogeret aliquis ex notabili metu mortis, aut infamiae, qui neq; esset talis, vt ad impediendum valorem matrimonij sufficeret, esset vero tantus, qui talem contrahendi modum excusaret. Tertium exemplum esse potest si ad legitimandam prolem prius male conceptam, & ad reparandam aliquo modo mulieris infamiam, tale matrimonium fieret. Hic vero tertius casus involuit aliam questionem, an illud matrimonium possit per subsequenter professionem religionis dissolui, vel, quod idem est, an censetur ratum tantum, vel consummatum, quatenus copula præcesserit, de quo infra suo loco dicemus. In his ergo & similibus casibus constat matrimonium non fieri ex intentione proles generande, sed ex alia intentione recta, & honesta, quæ non solum non repugnat cum materia religionis, ve-

tum potius ad illam melius vel facilius seruandam ordinatur. Tunc ergo voluntas contrahendi non includit virtuale propositum consummandi. Nec refert quod ex illo contractu nascatur obligatio reddendi debitum, quia illa obligatio affirmatiua est, ideoq; non pro semper obligans, & ideo in principio non pro statim obligat, vt notauit D. Tho. in 4. d. 27. q. 1. art. 3. q. 2. ad 2. sed conceditur ei tempus in quo sufficienter potest tractare de transitu ad religionem, & ideo neque illa intentio est contraria tali obligationi, nec voluntas obligandi se, vt est sub tali intentione, est virtualis voluntas actus, ad quem est obligatio, sed ad summum conditionata, si in eo statu perseverauerit.

Atque ex his patet altera pars assertionis, quam exempla superius adducta declarant. Ratio vero est, quia cum matrimonium per se ordinetur ad copulam coniugalem, contrahere illud cum apposita conditione, & excludendo omnino illum finem non habet per se congruentiam vel honestatem, & ideo magna requiritur causa, quæ honestet talē contrahendi modum. Præterea hoc declarat, & non aliud statuet secundum fundamentum primæ sententiæ, regulariter enim timere profecto potest, & debet morale periculum incontinentiæ, & mutationis propositi, & ideo nec sine magna necessitate ingerere se debet homo illi periculo, nec sine magna probatione suæ voluntatis, & firma spe perseverandi in dicto proposito: & hinc optime colligitur hunc casum esse ratum, & non facile permittendum, non vero sequitur esse impossibilem etiam moraliter, quia nec periculum illud est adeo proximum, vt semper censei debeat moralis occasio, maxime cum frequentius intercedere solet multum temporis inter sponsalia de præsentibus, & solennitatem nuptiarum, ante quam iuxta Ecclesiæ ordinationem non debent sponsi coniungi: neq; etiam omnes homines sunt in hac materia æque fragiles, & alioqui tantam à Deo recipiunt gratiā, vt sine temeritate sperare possint se euasuros illud periculum.

Adde vero (vt res hæc facilius sit) in tali actu virtute fieri debere commutationem quandam, vel potius extensionem voti castitatis in votum religionis. Quamquam enim sub questione sit an teneatur ingredi religionem qui nupsit habens votum castitatis, sitatis in votum religionis. Quamquam enim sub questione sit an teneatur ingredi religionem qui nupsit habens votum castitatis, sitatis in votum religionis. Quamquam enim sub questione sit an teneatur ingredi religionem qui nupsit habens votum castitatis, sitatis in votum religionis. Quamquam enim sub questione sit an teneatur ingredi religionem qui nupsit habens votum castitatis, sitatis in votum religionis.

Secundo probatur, quia si maneret liber, posset sine culpa mutare propositum intrandi religionem, &

In hoc casu debet fieri commutatio voti castitatis in votum religionis.

8.

Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.

perseuerare in statu coniugali, & consequenter etiam posset, immo & deberet debitum reddere, quod secundum se repugnat voto castitatis: ergo repugnat, ut aliquis licite se constituat in tali statu post votum castitatis: ergo ut matrimonij contractus licite fiat, necesse est ut suscipiatur obligatio intrandi religionem.

Nec mihi probabilis est opinio quam tenet Angelus supra numero secundo, & ex quibusdam alijs, quorum scripta non vidimus, refert Henriquez supra, quos ipse sequi videtur, scilicet, ex prædicto casu non oriri obligationem ex tali proposito, & ideo si illo mutato reddat sponsus debitum sponsæ exigenti, excusari à culpa, etiam prima vice, & consequenter posse aliquem post votum virginittatis voluntarie amittere virginittatem, nullo interueniente peccato, nec dispensatione, aut necessitate excusante, quod plane incredibile est.

Etiā tenetur ad profectum in religione.

Vnde per contrarium extremum Caietanus supra dixit, huiusmodi personam teneri non solum ad ingrediendam religionem, sed etiam ad profectum in illa, quia posuit se in statu, in quo non potest aliter castitatis votum implere, nisi in religione perseueret, ac profectetur. Quod profectio in rigore videtur verum, quoniam enim nemo cedere iuri suo censetur quoad annum probationis, nisi expressè id velit, ut post Concilium Tridentinum non possit aliter fieri professio, nihilominus quia voluntarie se constituit in illo statu, in quo necessario debet aut profiteri religionem, aut violare votum castitatis: ideo eligere cogitur professionem ne votum violet, vnde ut à principio vitaret peccatum in contrahendo, ad hoc se obligare necessarium fuisse videtur, quia alioqui evidenti discrimini integritatem castitatis exponeret, quod plane fuisse contra votum ipsum.

Nec videri debet hæc sententia Caietani nimis rigorosa, quia ex vi illius obligationis ille non tenetur ad determinatam religionem, sed satis illi est in quacumque statum religionis assumere, qui ratum matrimonium dirimat: nullus autem est, qui in aliqua saltem ex leuioribus facile profiteri non possit.

9. Dubitatio specialis, si non possit profiteri, ad quid tenetur.

Sed quid si in nulla ex leuioribus admittatur, & in asperioribus ipse non possit commode profiteri? Quid etiam si propter nouum superueniens impedimentum ægritudinis non possit sine magno incommodo profiteri? Nam si ratio Caietani est efficax, etiam in his casibus cogendus erit ad profectum ubi poterit, non obstantibus difficultatibus occurrentibus: videtur autem nimis rigorosum tam grauem obligationem imponere, maxime cum videatur non cecidisse sub intentione vouentis.

Respondeo in primis has omnes difficultates ostendere, quam sit lubricus & periculosus hic modus contrahendi matrimonium cum voto castitatis.

Dicendum ergo est oportere, ut qui sic contrahit, sit moraliter certus non solum de suo proposito, sed etiam de effectu eius, scilicet, quod sine difficultate poterit executioni mandari, quia alias manifesto periculo exponitur castitas. Vnde est etiam in presenti ponderanda differentia inter votum castitatis, & religionis, quia votum castitatis, per se loquendo, & ante statum matrimonij, potest seruari & executioni mandari independentè à consensu alterius: votum autem religionis pendet in executione ab alterius consensu, & ex multis alijs circum-

stantijs, & ideo ut sub spe status religiosi possit quis licite matrimonium contrahere, non obstantè castitatis voto, necesse est ut hæc spes sit certa moraliter, non solum ex parte proprijs desiderijs, sed etiam ex parte facultatis, seu capacittatis personæ, & ex parte etiam ipsius religionis, alioqui magna iniuria fieret voto castitatis, quia sine matrimonio potest libere seruari absque statu religionis; adiuncto vero matrimonio iam non est liberum homini integre seruate illud, si cum effectu religiosus non sit.

Nihilominus addo, si in principio bona fide facta fuit illa virtualis commutatio, & postea rationabili causa professio impeditur, aut sine tanta difficultate fieri non possit, ut verisimile non sit vouentem à principio voluisse ad hoc se obligare; tunc sine scrupulo potest reddere ad seculum, & reddere debitum etiam prima vice sine culpa, iuxta dicenda capite sequent.

Et ratio est, quia ex quo facta fuit dicta commutatio, vel extensio, iam votum castitatis non obligat ad integram castitatē, nisi in statu religionis cum obligatione eius moralimodo intellecta, prout homines solent secundum ius & secundum prudentiam ad religionem obligari: nam hoc satis est ut prima actio & commutatio licita fuerit. Semel autem facta commutatione, ut supra dixi, prius votum iam non obligat, nisi secundum id quod post commutationem de illo relictum est: & ideo impeditio status religionis in prædicto statu votum castitatis non obligat ad seruandam illam, nisi quantum sine iniuria alterius coniugis seruari potest, & ideo potest reddi debitum etiam prima vice sine vlla culpa.

Sed quid si post contractum matrimonium alter coniux vellet castitatem vouere, & cum alio pacifice nunquam petendo debitum, tenereturne alius coniux nihilominus ingredi religionem? Ex dictis enim hoc sequi videtur, quia si facta est commutatio, necessarium est illam implere. In contrarium vero est, quia tunc sine ingressu religionis potest integre seruari votum castitatis.

Respondeo, in primis cauendum esse periculum incontinentiæ, quod in prædicto casu vix potest moraliter deesse, siue tales persone cohabitent diu, siue separentur, & in seculo maneat, quod propterea Ecclesia non permittit, nisi in certa ætate, & cum quibusdam conditionibus, ut supra tactum est, & latius est dicendum in materia de matrimonio.

Secluso autem periculo, & loquendo per se ex vi voti, dicendum est in eo casu non teneri ad ingrediendam religionem propter rationem factam. Commutatio autem virtualiter contenta in dicto proposito intrandi religionem, intelligenda est solum quatenus illa fuerit medium ad seruandam votum castitatis, vel, quod idem est, subintellecra conditione, si aliter perseuerare non possit in statu matrimonij sine discrimine castitatis.

Quocirca si ante contractum matrimonium quisquam esset omnino certus alium coniugem non petitarum debitum, non peccaret contrahendo matrimonium, etiam sine proposito intrandi religionem, quia nullum nouum documentum inde prouenit castitati, & quia hæc certitudo non potest haberi nisi per diuinam reuelationem, ideo illa interueniente clarum est hoc esse licitum: & ita multi interpretantur matrimonium Beatæ Virginis cum Iosepho post votum castitatis. Humanæ autem coniecturæ aut quæconque promissio alterius coniugis ad hoc non sufficit. Nam

Nam si talis sit vt per eam renunciet iuri suo, repugnet substantie matrimonij, si ante illud fiat, si vero sit quæcumque alia assertio, vel contestatio, non tollitur petendi, & consequenter non tollit reddendi obligationem, si postea cum effectu petatur. Et ideo semper talis contractus repugnat voto castitatis, scilicet reuelatione, nisi fiat prædicto animo transeundum ad religionem.

Atque hinc facile etiam expeditur tertium fundamentum prioris opinionis, quod non ex voto, sed ex iniuria, quæ fiscaliter coniugi, fumebatur. Negamus enim illi fieri iniuriam alicuius momenti, nam si professio religionis impedita fuerit, illi reddetur debitum suum, per quod la. isit quoad hanc partem rigori iustitiae. Nam licet aliquod grauamen vnius coniugis sit quod alter habeat votum castitatis, ratione cuius non possit debitum petere, & ideo aliquis deceptio videatur, contahere habendo votum, quod alter ignorat, nihilominus non videtur hoc continere iniuriam adeo grauam, vt ob eam solum causam censendum sit peccatum mortale iniuriae, quamquam hoc accidentarium omnino sit ad votum continentiae, de quo agimus. Ac denique licet illa sit aliquis iniuria, si abiq; causa vel ratione fiat, tamen interuenientibus circumstantiis suprapositis homo vitur iure suo, & ideo censendus non est formaliter deceptio, aut iniuriam facere. Quod si post tale matrimonij professio reipsa sequuta fuerit, iam alter coniux manet omnino liber, & sic etiam ex hoc capite nulla ei fit iniuria.

Dicunt aliqui, interdum, præsertim ex parte mulieris, reddi difficilius matrimonium cum alio, quod illi est iniuriosum. Respondetur negando assumptum, si loquamur per se, & secundum rectam rationem, quod autem apud aliquos pro sua voluntate sine ratione operantes id possit accidere, curandum non est. Et probatur aperte: nam in omni matrimonio ex parte vtriusque coniugis subintelligitur tacite illa conditio, Nisi ad statum religionis transire voluerit, vnde uterque retinet ius suum ad id deliberandum & faciendum intra tempus iure præscriptum, & ideo neuter alteri facit iniuriam, quia & in hoc sunt pares, & talis conditio per se inest tali contractui: ergo quod a principio fiat contractus cum intentione vtriusque iure, & implendi illam conditionem, non potest esse iniuriosum coniugi, cum ei non fiat maius nocumentum, eo quod illa intentio præcedat, quam si subsiquatur. Vnde a fortiori constat omnino falsum & improbabile esse dicere talem intentionem esse contra substantiam matrimonij, cum non excludat verum consensum in ipsi vinculo, quandoquidem potestas intrandi religionem coherere possit cum vero matrimonio, & ita de hoc nulla est dubitatio inter probatos auctores.

Ad vltimum fundamentum respondemus ex vi iuris positum non esse nouum præceptum specialiter prohibens nuptias ratione voti simplicis, sed solum declarans naturalem, & diuinam obligationem, quæ ex vi talis voti oritur. Et ita plane loquuntur Sancti omnes citati capite præcedenti, a quibus ferè sumpta sunt omnia decreta, quæ à Gratiano referuntur, illi autem nuptiarum nomine, & verbo nubendi intelligunt matrimonium, prout ordinario modo fit, & consequenter vt includat copulam vel propositum eius. Quomodo dixit Hier. Marth. 1. de Ioseph, qui dicitur vir Mariae, Cum virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum. Et in eodem sensu in cap. 2. negat Ioseph fuisse maritum, quia scilicet hæc voces matrimonium consummatum indicare solent. Sic etiam dixit Gregor. homil. 26. in Euangel. de eodem S. Ioseph. Maria sponsam habere voluit, qui tamen ad eius nuptias non peruenit. De his ergo nuptijs & affectu illarum loquuntur. Et Suarez de statu relig. tom. 3.

tur Sancti cum dicunt, *Habentibus votum virginis non solum nubere, sed etiam velle nubere demnabile est.* Sic etiam intelligendum est cap. si vir dist. 27. citatum in illo quarto fundamento, cum ait, *Si vir habens simplex votum virginis adiungitur uxori, ibi enim verbum adiungitur, copulam significat, & non tantum vinculum, & ideo de illo subditur, Postea non dimittit uxorem, sed tribus annis penitet.* Ac si matrimonium non consummasset, cogendus potius esset, vel monendus, vt uxorem dimitteret, & religionem ingrederetur. Sic etiam intelligendum est cap. rursum, ibi dem citatum, ibi, *si ad nuptias motu proprio conuolasset.* scilicet consummando priora sponsalia quæ præcesserant, quamquam illud caput licet intelligatur de solo matrimonio rato, nihil ad præsentem causam referret, quia ibi solū dicitur esse validum, etiam si post votum simplex castitatis fiat, non vero an licite vel illicite fiat. cap. autem consuluisti, ibidem citatum, nihil ad præsens referret, & in capite seq. ex professo tractandum est.

Alia dubitatio hic supererat, an persona, quæ post votum virginis virginis amittit frangendo votum, teneatur nihilominus postea non nubere. Sed hæc difficultas satis expedita est. 2. de Relig. tract. de voto in communi lib. 4. cap. 7. a num. 6. vique ad 8. pendet enim hoc ex intentione vouentis. Si enim fecit votum virginis æquiualens voto continentiae, seu illud includens, clarum est quidquid peccauerit, semper obligari ad non nubendum, quia votum castitatis semper in futurum obligat quantum potest, etiam si in præterito factum fuerit. Si autem intentio vouentis solum fuit se obligare ad seruandum integrum claustrum virginale, seu non committendam primam fornicationem, seu primū actum, quo perdat virginatē, tunc post votum irritum factum, non manet votum ad non nubendum, quia obligatio non excedit intentionem vouentis. Quæ resolutio ex D. Tho. & Caiet. sumitur in hac quæst. 88. art. 3. ad 2. & est communis, & per se satis clara. Solum inquiri potest quando votum iudicandum sit esse huius posterioris modi. Respondeo solū quando id constiterit ex intentione expressa vouentis, alioqui enim qui simpliciter vouit virginatē, & nihil declarat vel limitat, censetur vouere perpetuam castitatem. Et ita sentiunt D. Thom. & Caiet. citato loco, & alij Doctores in 4. dist. 38. Soto lib. 7. de Iustitia q. 2. art. 1. & Nau. c. 12. num. 43. Lessius lib. 2. de iust. c. 40. dubit. 13. num. 105. Azor tom. 1. inst. moral. lib. 11. c. 19. q. 14. Sanchez in Decalog. lib. 4. de voto c. 40. num. 65. & alij quos d. l. b. 4. de voto c. 7. num. 7. allegauit. Cætera quæ de obligatione voti castitatis desiderari possunt, inferius adiciemus.

CAPVT IV.

Vtrum votum simplex castitatis per se & natura sua irritet matrimonium postea contractum.

Hæc quæstio tractatur à Theologis in 4. dist. 38. & ab aliis auctoribus in materia de matrimonio, magis tamen propria est huius loci, quia magis pendet ex cognitione voti simplicis, & necessaria est ad eius vim & efficaciam explicandam. Nobis etiam conducet ad explicandam vim & naturam voti solennis. & ideo perterriti hoc loco non potuit. Viderit autem hæc quæstio fuisse controuersa tempore D. Augustini, nam ille lib. de bono viduitatis c. 10. significat aliquos asseruisse nuptias post votum castitatis factas non esse nuptias, sed potius aduheria, & ideo separandos esse qui ita contrahunt. Quæ sententia variis modis suaderi potest. Primo ex ipsa antiquitate, olim namq; vota virginis, & castitatis, quæ erant in vtu Ecclesie, simplicia tantū erant, & tamen tunc ita impediébāt matrimonium, vt irritū illud facerēt.

15.
Dubitatio
sortem.
An qua
votum
virginis
sua viola-
uit, teneat
tur postea
non nubere.

15.
Prima sen-
tentia as-
firmat.

Probat
primo.